



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 44. Diebus festis & maximè sancto Aduentus & Quadragesimæ  
tempore magis taciturnitati studendum esse.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

## CAPVT XLIIII.

*Diebus festis & maximè sancto Aduentus tempore magis taciturnitati studendum esse.*

*Diebus festis magis tacendum.*

**Q**uartum tempus est, cùm festi dies aguntur, & lex diuina audienda est; quòd probauimus superius cap. 36. num. 1. ex auctoritate D. Hieronymi, quòd idem probatur ex 2. Esd. 8. 11. vbi dicitur. *Leuita autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies sanctus est.* Quòd licet omnibus Christianis, maximè tamen reuoligiosis notandum erit, vti & sequentia.

*Diebus quibus præparamur ad maiores solemnitates.*

Quintum est, cùm ij dies aguntur, quibus nos ad maiores solemnitates præparare debemus, vt tempore sanctæ quadragesimæ & Aduentus Domini, tam ad Resurrectionem Dominicam, quàm Natiuitatem magis piè celebrandam. Ad Resurrectionis enim Domini

cæ commemorationem silentium plurimum conducere docet Zacharias his verbis capit. 2. 13. *Sileat omnis caro à facie Domini quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* De tempore verò sacri Aduentus est, quòd tum fuit tempus pacis, & Psalm. 75. 3. *In pace factus est locus eius.* In silentio autem pacem consistere docuimus capit. 25. num. 1. Clariùs verò hac de re dicitur, Sap. 18. 14. *Cùm enim quietum silentium contineret omnia & nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus profiliuit.* Similes sunt & illi dies festi, istis diebus quibus Deus præparauit hostiam suam, in sacrosancto missæ sacrificio; per quam sanctificat eos quos sua sanctissima vocatione dignatus est, vti dicit per Sophoniam Prophetam, Soph. 1. 7. *Silete à facie Domini, quia innoxia est dies Domini, quia preparauit*

*Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. De qua excellentissima & acceptissima hostia est id Psal. 39. 7. Heb. 10. 5. 9. Hostiam & oblationem noluit, scilicet taurorum, hircorum, vitulorum, ut apud Iudæos erant in usu, corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi.*

## CAPVT XLV.

*Silendum etiam cum multa dicuntur que scire videmur, cum tempora mala, & cum audimus blasphemias.*

**S**extum tempus est, cum multa dicuntur quæ etiam scire videmur. Quam doctrinam tradit Ecclesiasticus, Eccli. 32. 12. *In multis esto quasi inscius & audi tacens, simul & quærens.* Contra eos qui iactantiæ causa & ut scioli videantur multa effutiunt non habita ratione loci, temporis, & personarum, qui-

buscum